



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.2. Author, & autoritas historiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

innocentissimi atq; sanctissimi, tamen maximas corpori inferunt afflictationes. Eremitæ, Monachi variorum ordinum, qui a mundo separati vix sciunt, nisi è libris, quid sit peccare, quàm miserè vestiuntur? quàm asperè cubant? quàm seuera ieiunia sibi indicunt? Sit Ioan. Baptista in exemplum, de cuius vestitu, habitatione, & victu, Evangelica docet historia. At qui plurima quotidie committunt flagitia, non tantùm nihil luunt, verùm etiam mollibus vestiuntur, in vino, in conuiujs & luxurijs assiduè versantur, rident, ludunt, iocantur, fletum, lachrymas, pœnitentiam detestantur. Quod manifestum indicium est, pœnas illorum in alteram vitam differri. Si *saperent, ac nouissima prouiderent*, vtique huius vitæ incommoda omnia libenter tolerarent. Nunc non sapiunt, neque satis credunt,

Esse aliquos Manes, & subterranea regna, hinc præsentibus bonis inhiant, & quidquid est durum, aut molestum auersantur.

II:
 AVTHOR
 ET AV-
 THORITAS
 HISTO-
 RIAE
 IIa. 33. 14.

Ad hos erudiendos toties Scriptura sacra inculcat memoriam gehennæ; toties clamant Prophetæ, toties ipse Christus vult istud ingeminat. *Quis poterit habitare de vobis cum igne denotante? quis habitabit ex vobis cum*

eum ardoribus sempiternis? Et Servator: nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. Quod etiam per illustria sæpe exempla docuit Deus. Ego vnicum referam, ad hoc propositum valde idoneum; ex libro quem Sigebertus de Illustr. Ecclesiæ Scriptor. vocat librum *De vita & doctrina Patrum*; Gentianus Heruetus in præfatione versionis suæ Palladianæ existimat ipsum Palladium eum librum scripsisse; historiam certè in eo contentam refert Ioa. Damascenus in libro, qui inscribitur, *De ijs, qui cum fide excefferunt ex hac vita*. Interpretatus est eum ex Græco Ioannes S. R. E. Subdiaconus, edidit in lucem accuratius Heribertus Rosvveydus, ut adeò historia neque antiquitate, neque authoritate careat. Est autem talis.

Quidam ex Eremitis patribus authoritate pollens & pietate, per varia circumibat virorum ac mulierum cœnobias, ut ea visiteret. Is, in quodam loco senecta ætate virginem inuenit Deo, in assidua oratione, contemplatione, ieiunijs, asperrimisque corporis afflictationibus seruientem: cuius cum

Matthæ
10. 28.

Sigebertus
de Illustr.
Ecclesiæ
Scriptoribus.
in
Ioann.
c. cxviii.
Heribertus
Rosvveidus
in Vitis
PP. l. 6.
libello
de præuidentia,
seu contemplatione.
§. 15.

III
QUALIS
FVERIT
PATER
TAM PIAB
FILIAE